

8.14.11

*Idem AA. et CC. Euphrosyno.*

Nominatori pignori capere sine praesidis auctoritate res nominati non licet.

*S. III k. Mart. AA. consss.*

[a. 293]

8.14.12

*Idem AA.. et CC. Eusebio.*

Si uxor tua pro pecunia quam accepit mutuo res proprias obligavit pignori eique tu successisti, licet in instrumentum eius facti testimonium collatum non sit, soluto debito creditorem de his tibi reddendis sollemni iure conveni.

*S. V k. April. AA consss.*

[a. 293]

8.14.13

*Idem AA. et CC. Matronae.*

Cum dominam non minorem viginti et quinque annis ea quae obligaverat tibi iure dominii possidere permisisse et in solutum deditis precibus significes, dominae contractus et voluntas ad firmitatem tibi sufficit.

*S. III k. Mai. Heracliae AA. consss.*

[a. 293]

8.14.14

*Idem AA. et CC. Appiano.*

Distractis a debitore pignoribus creditores in potestate habere, utrumne personali obligatos sibi, an pignora possidentes in rem actione convenire velint, non est incerti iuris.

*S. k. Mai. Heracliae AA. consss.*

[a. 293]

8.14.15

*Idem AA. et CC. Basilidae.*

Debitorem neque vendentem neque donantem neque legantem vel per fideicommissum relinquentem posse deteriorem facere creditoris condicionem certissimum est. unde si tibi obligatam rem probare posse confidis, pignora persequi debes.

*S. V non. Mai. Heracliae AA. consss.*

[a. 293]

8.14.16

*Idem AA. et CC. Heraidi.*

Etsi frater tuus non suam, sed ad te pertinentem pecuniam mutuam suo nomine dedit ac pignus accepit, tamen tibi pignoris obligationem quaerere non potuit.

*S. IIII id. Mai. Hadrianopoli AA. consss.*

[a. 293]